



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illo qui cum filiastra ignorante matre fornicatus est. xi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

ne vescitur, à potu omni quo inebriari potest se continere. Et si biberit potum, minimè carne vescatur, absque præcipuis festis diebus. De armis verò vel osculo, & sacrificio, modum teneat iam dictum. Inde vsque ad obitum suum, nisi prædictis festis diebus à carne abstineat: tres ferias legitimas in omni hebdomada, & tres quadragesimas in anno legitimè custodiat. De armis verò vt supradictum est, & nunquam aliquando coniugio copuletur. Hæc eadem pœnitentia imponenda est patricidis, vel fratricidis, vel consanguineis, nec non & qui spontè per fraudem, & avaritiam, hominem innoxium occidit, quod morchidū vocat.

De illo qui cum matrem habuerit uxorem, cum filiastra fornicatus fuerit. Cap. IX.

*Ex eodē
cap. 2.*

SI quis viduam uxorem duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu cum duabus sororibus concubuerit, aut si qua duobus fratribus nupserit, seu cum patre & filio fornicata fuerit, tales copulationes anathematizari & desungi, præcimus, nec vnquam amplius coniugari copulari, sed sub magna districtione fieri.

De eadem re. Caput X.

*Ex cōcil.
apud Ver
meriam,
cap. 10.*

SI quis cum filiastra sua fornicatus fuerit, nec matrem nec filiam potest habere: nec illa, nec ille aliis se poterunt coniungere villo vnquam tēpore. Attamen vxor eius, si ita voluerit, & si se continere non potest, si posteaquam cognouit quòd cū filia sua vir eius fuit in adulterio, carnale cōmertium cum eo nō habuit, si vult alij nubere potest.

De illo qui cum nouerca fornicatus est. Cap. XI.

*Ex eodē
cap. 21.*

SI quis cum nouerca sua dormierit, neuter possunt ad coniugium peruenire: sed vir eius potest si vult aliam accipere, si se continere non potest. Similiter qui cū filiastra sua, vel cum sorore vxoris suæ dormierit, stare potest.

De illo qui cum filiastra, ignorante matre fornicatus est. Caput XII.

*Ex eodē
cap. 4.*

SI quis cum matre & filia fornicatus est, ignorante matre de filia, & filia de matre, ille nunquam accipiat vxorē: illæ verò si voluerint accipiant maritos. Si autē hoc fecerint ipsæ fœminæ, absq; maritis in perpetuum maneat.